

1494 tum capiendum consilium perpulit . Rex post hæc Placentia profectus , dextra se per Tari fluminis vallem fletens ad Apuanos , in Apennini radicibus municipium , legatos Florentinorum obvios habuit , quos ad regem civitas , ut cum eo agerent , ne inimico ad se se animo accederet , misit . Ejus legationis Petrus Medices princeps fuit . Is cum regem a se alienatum Laurentii & Ludovici maledictis calumniisque comperisset , omnibus illum conditionibus lenire , benivolumque sibi reddere est aggressus . itaque tria civitatis oppida in Apennini jugis , quæ Genuenium antea fuerant , tum Pisas & Triturritam in præsentia regi tradere , certasque quotannis , quo ad is in Italia esset , pecunias tributi nomine , atque equitatum pollicitus , cum illo in amicitiam rediit . Quibus intellectis rebus civitas incitata , illum & Joannem & Julianum ejus fratres urbe finibusque suis expulit , domo eorum opulentissima direpta , bonisque fisco addictis : quorum duo se Venetas contulerunt . Joannes Petro natu minor Bononiæ primum , deinde in Tifernatibus apud propinquos suos complures se menses continuit : erat tamen e Cardinalium collegio . Rex , Apennini superato iugo , Lucam , inde Pisas venit : idque oppidum a Florentiæ imperio , ditioneque removit , & sui juris , liberumque jussit esse : quod quidem civitas , plebsque omnis cupidissime arripuit . Florentiam paucis post diebus est profectus , librisque auri duodecies centies imperatis , in reipublicæ formam civitatem rededit . Pisis libertati restitutis , senatores , reliquique cives concilio coacto , magistratus qui Florentia venerant , ex oppido suisque vicis & castellis expulerunt : ex se se , quos visum est , magistratus creaverunt . Leones marmoreos depictosque , quod est insigne Florentinorum , e foro , locisque omnibus sustulerunt . In exilium qui essent a Florentinis magistratibus missi , ii ut in oppidum atque in suos quisque lares remigrarent , edixerunt . Iisdem diebus ea Gallici pars exercitus , quæ in Flaminiam præcesserat , tribus in agro Forocornelienium & Foroliuenium tum vi , tum ditione captis castellis , Faventia-

Petrus Medices , cum
fratribus ,
Florentia expellitur .